



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro tertio Decretalium, In Quo De Obligationibus, Beneficiis, Aliisque Juribus Clericorum saecularium, & Regularium agitur ...

Pirhing, Ehrenreich

Dilingae, 1676

Titulus III. De Clericis Conjugatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98275](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98275)

menter præsumit eum esse filium alicujus, qui publicè habitus est pro filio, *Abb. c. l. n. 14.* Sic si quis publicè detineat feminam suspectam in domo, à jure præsumitur fornicatio, *Fagnan. c. l. n. 85. § 2. seqq.* Ubi addit, ad inducendum notorium præsumptionis, præter violentam præsumptionem, requiritur factum, ex quo oritur præsumptio, sit notorium facti vel juris.

XXII. Quæritur 2. Quid sit occultum, prout notorio facti opponitur! R. Occultum v. g. crimen in primis dicitur, quòd à nemine alio scitur, & nullà ratione probari potest in judicio: cui æquiparari debet, quod scitur ex sola Sacramentali confessione; quia perinde est, ac si non sciat, cum alijs revelari non possit *Suar. tom. 4. de relig. lib. 6. de profesc. 10. n. 19.* Secundo. Quod aliquis scit acceptum sub secreto naturali; quia nimirum expressè, vel tacitè promissit, se id non revelaturum: tunc enim quod ita secretò scitur, non potest revelari, nisi id necessarium sit ad averrendum grave damnum injustè inferendum Reipubl. seu Communitati, vel privatæ personæ, sive propriæ, sive alterius tertij, sive etiam ipsius revelantis, *Laym. lib. 3. tr. 3. p. 2. c. 15.* & alij apud ipsum. Hujus occulti, seu secreti, species quædam est, si quis commissum occultum crimen amico, aut alteri viro prudenti, consilij capiendi causâ revelavit, is enim ad illud non revelandum, tam graviter & strictè obligatur, ut ordinariè loquendo, non nisi in gravissimum damnum Communitatis concessum sit, illud revelare, *Suar. c. l. n. 29.* Quia alioqui miseris, & afflictis hominibus maximum remedium salutis suæ, cum magno etiam ipsius Reipubl. detrimento, adimitur, si viro prudenti arcana sua, consilij capiendi

causâ, sincerè, & sine nocendi proposito, tutò credetè non possint. Tertio. Quod uni soli, extra secreti obligationem, cognitum est, si neque id indicij ostendi possit, censetur simpliciter occultum, ita ut revelare aut denunciare Superiori, non liceat. Quarto. Quod per unum tantum testem, præter ipsum denunciantem, vel alijs indicijs, semiplenè tantum probari potest, censetur simpliciter occultum. Quintò. Dicitur occultum, quòd publicè v. g. tribus 4. vel 5. testibus notum est, ita ut coram Judice probari possit, licet publicè notorium non sit, nec censetur, *Suar. cit. c. 10. n. 19.* Porro prædictis omnibus factis occultis opponitur publicè notorium facti, sive sciatur à majore parte populi, seu Communitatis, quæ saltem 10. personas habeat, quot censentur facere plebem: sive non à majore parte, tamen à tot personis Communitatis, ut impossibile sit, moraliter loquendo, celari aut occultari, quòd minùs paulatim deveniat ad aliorum plurium noticiam, *Abb. in cit. c. Vestra 37. n. 16. h. t.* Ubi ait, quòd Judex, seu vir prudens ex varijs circumstantijs loci, temporis, personarum, & qualitate actûs arbitrari debeat, num factum v. g. crimen notorium sit, nec nè?

XXIII. Quæritur tertio, quot testes requirantur ad probandum notorium? Resp. Sufficere duos vel tres testes, licet enim non sufficiant duo testes ad inducendum notorium, sufficiunt tamen, ad illud probandum; quia in ore duorum vel trium testium stat omne verbum; sicut etiam ad infamandum aliquem, non sufficiunt duo vel tres, *c. Inquisitionis; 21. de accus.* sufficiunt tamen ad probandam infamiam. *Abb. in cit. c. Vestra 37. n. 17. h. t.*

TITVLVS III.

DE CLERICIS CON- JUGATIS.

Postquàm actum est, præcedente Titulo, de illicita cohabitatione Clericorum cum mulieribus: nunc agitur de licita, videlicet an, & quâ ratione permissum sit Clericis ducere uxores, iisque cohabitare. Extat hic Titulus etiam in Sexto.

§. I.

An Clerici coniugati ad Ordines, vel beneficia Ecclesiastica promovere possint?

I.

Asertio 1. Clerici coniugati ad sacros Ordines, & ad Ecclesiastica beneficia, aut Administrationes non debent admitti; præterquàm si quis perpetuam continentiam voverit, & unicam, eamque Virginem (ab alio non corruptam) uxorem duxerit, prout statuit Alexander III. in c. Sanè; 2. h. t. & ibi Gl. V. Virginem. Ratio decisionis est, quia cum Clerici obire debeant officia, & ministeria sacra & Divina, quorum pleræque sacros Ordines requirunt, vel saltem propositum illos aliquando fulci-

piendi: idèd non est conveniens, ut Conjugati promoveantur ad sacros Ordines, quibus annexum est votum continentie, quod est incompatible cum statu conjugali, neque ad Ecclesiastica beneficia admittendi sunt; quia beneficium datur propter officium, officia autem Divina pleræque continentiam requirunt. Excipitur, nisi talis Clericus conjugatus perpetuam continentiam voverit, cum consensu uxoris, tunc enim cessat ratio, ob quam status Conjugalis repugnat statui Clericali: quo casu, tamen insuper requiritur, ut uxor, si in sæculo manere velit, votum quòque perpetuæ continentie edat, & eâ tate sit, ut extra periculum incontinentie esse videatur, alioquin verò si juvenis sit, Religionem ingrediatur, juxta c. Conjugatus; 5. de convers. Conjug. junct. Gl. V. ab uxore, & habetur etiam in Concilio Agathensi relato in c. Episcopus; 6. & ibi Gl. V. religione dist. 77. Sanch. lib. 7. de Matr. dist. 42. n. 16. de quo plura infra tit. 32.

II. Ubi

II. Ubi præterea notandum primò, nomen sacrorum Ordinum in hoc c. generaliter & late est accipiendum, prout comprehendit omnes Ordines, etiam minores, quia neque ad hos promoveri debet Clericus conjugatus, præter casum supra exceptum, *Abb. hien. 3.* quia Ordines minores ordinariè conferuntur in ordine ad majores suscipiendos. Unde neque prima Tonsura conferri debet conjugato, nisi Religionem intrare, vel ad sacros Ordines promoveri velit, *c. ult. de temp. Ordin. in 6.*

Notandum secundò, Clericus conjugatus est incapax beneficii obtinendi, nam Laicus non est capax beneficii Ecclesiastici, *c. Cum adeo; 17. de rescript.* At Clericus conjugatus habetur in omnibus, ut Laicus, exceptis casibus expressis, in *c. Unic; h. t. in 6.* de quibus infra: imò cum amittat beneficia prius habita, multò magis erit incapax ad nova obtinenda, & consequenter collatio beneficii ipsi facta, est ipso jure nulla, *Sanch. cit. dif. 42. n. 16.* sed neque Clericus conjugatus juvatur regulà de triennali pacifica possessione beneficii, ita ut postea non possit molestari, sicut neq; Laicus; quamvis eà regulà juventur alij inhabiles, ut excommunicatus & irregularis; quia hi non sunt omninò incapaces beneficii, licet enim illud eo tempore obtinere non possint, at prius obtento non privantur, sed illud tenere possunt: Laicus verò & Clericus conjugatus non possunt ullo modo beneficium acquirere, vel acquisitum, ante matrimonium, retinere, *Sanch. c. l. n. 15.*

Excipitur casus expressus in *c. 2. h. t. de quo supra*, vel nisi vir emissio voto castitatis (sicut uxor emissio) initietur minoribus Ordinibus, animo ad sacros Ordines ascendendi: tunc enim matrimonium solum est, non quidem quoad vinculum, sed quoad usum & cohabitationem, ideòque est capax beneficii. Idemque dicendum, si vir legitimam divortij causam habens, v. g. ob uxoris adulterium, ad Ordines promovatur, tunc enim etiam cessat usus conjugii, & nò est recursus ad uxorem, *Sanch. c. l. n. 16.*

Notandum tertio, quamvis Clericus minoribus Ordinibus initiatus, & conjugatus non possit obtinere beneficium Ecclesiasticum in titulum, potest tamen habere, ratione stipendij, vel pensionis pro officio vel ministerio temporali, ut pro pulsandis campanis templi, vel organis; quia sicut status Laici non est cum his incompatibilis, ita nec status conjugalis, *Sanch. cit. l. 7. dif. 44. n. 4.* est tamen Clericus conjugatus incapax pensionis, quæ titulo Clericali conferri solet, nisi ex dispensatione Pontificis, *Sanch. c. l. n. ult. Barb. in Collect. hic n. 2.*

Notandum quarto, Clericus conjugatus est etiam incapax cujuscunque administrationis Ecclesiasticæ, quæ per Ecclesiasticam personam obiri solet, etiam si non sit beneficium, *c. 2. h. t.* Ex quo infertur, quòd Clericus conjugatus non possit esse Vicarius generalis Episcopi in spiritualibus, *Abb. in cit. c. 2. n. 3. h. t.*

III. Assertio 2. similiter Clerici conjugati ad Ecclesiasticas dignitates admitti non debent, & si quas obtinent, cogendi sunt, ut eas dimittant, cum non possint eas, sine pravo exemplo, & gravi scandalo retinere, prout statuit Innocentius III. in *c. Cum decorem; 8 h. t. ubi Gl. fin. addit*, quòd, ob solum scandalum quandòq; repellitur quis à beneficio.

Tomus III.

Idemque dicendum est de alijs quibusvis beneficiis etiam simplicibus, quæ Conjugati possidere non possunt, ideòque eis privandi sunt, *Gl. hic V. Dimissis*, multò magis ergo ad ea de novo obtinenda admitti non debent, ut ex dictis patet. Quin imò nec consuetudo valet, ut conjugatus possit habere beneficium Ecclesiasticum; quia non valet consuetudo juncta cum pravo exemplo & gravi scandalo, *arg. hujus c. Abb. ibid. not. 2.* Porro etsi in hoc c. sermo sit de publicè uxoris, idem tamen procedit in ijs Clericis, de quibus publicè non constat esse uxoratos, dummodò id probari possit, *Abb. hic in fine.*

§. II.

An Clerici matrimonium contrahere, eoque contracto, beneficia retinere possint?

IV. Assertio 1. Clerici sacro Ordine initiati matrimonium nec licetè, nec validè contrahere possunt, est enim Ordo sacer seu major, impedimentum dirimens matrimonij contrahendi, ita ut post Ordinem sacrum susceptum, matrimonium de facto contractum sit ipso jure irritum, ob votum solenne continentie Ordini sacro ex Constitutione Ecclesiæ annexum, *c. Meminimus; 3. c. pen. & ult. infr. Qui Clerici vel vocantes &c.* Quòd si Clerici in Subdiaconatu, vel in alio Ordine sacro superiore constituti de facto uxores ducere præsumpserint, ad easdem dimittendas, & de commissio scelere poenitentiam agendam, per suspensionis & excommunicationis sententiam compellendi sunt, prout statuit Alexander III. in *c. Si qui; 1. §. sed si h. t.* Ratio patet ex dictis, quia matrimonium non tenuit, & beneficiis sunt privandi, *Gl. fin. hic.* Imò tales Clerici ipso facto excommunicationem incurrunt, juxta *Clement. unic. de consang.*

V. Assertio 2. Etsi Clerici in sacro Ordine non constituti matrimonium licetè & validè contrahere possint, *c. Si quis; 7. c. Lectores; 8. c. Placuit; 13. & seq. dif. 32.* Sitamen Clerici, qui infra Subdiaconatum, adeòque in minoribus Ordinibus sunt constituti, de facto matrimonium contraxerint, per Ecclesiasticam censuram ad beneficia Ecclesiastica relinquenda, & retinendas uxores compelli debent, prout statuitur in *c. 1. in princ. h. t.* quia matrimonium tenet.

VI. Similiter Clericos in minoribus Ordinibus constitutos, si uxorem duxerint, non posse Ecclesiastica beneficia retinere, sed ijs privandos esse statutum habetur in *c. Diversis; 5. h. t.* Nam cum intellexisset Innocentius III. quòd aliqui Clerici in quadam Diocesi contrahere matrimonium, & tamen beneficia Ecclesiastica retinere, contenderent, idcirco idè Papa mandavit Episcopo loci, ut hujusmodi Clericos beneficiis Ecclesiasticis, quæ in sua Diocesi sunt adepti, priveret appellatione remotà. Tum quia in Clericorum conversatione Cithara male concordat cum Psalterio (id est, laicalis conversatio cum Clericali ministerio, ut explicat *Gl. hic V. Cithara*): Tum quia alligatus uxori cogitat, quomodo placeat uxori, & sic divisus est quasi in duo, & minùs aptus est ad serviendum Ecclesiæ: tum

C

tum

» tum denique, quia per tales rerum Ecclesiasticarum
» substantia perire solet: periculum enim est, ne ea,
» quæ Ecclesiæ sunt, filiis & nepotibus largiantur. c.
» *De Syracusanis*; 13. *dis.* 28. Quod si tamen Episco-
» pus Clerico conjugato (vel alij inhabili, v. g. irre-
» gulari, vel criminoso) beneficium Ecclesiasticum
» scienter contulit, nō ipsemet collator eum privare
» debet, sed per Superiorem ejus (videlicet Metro-
» politanum vel Papam) privandus est. Ratio est,
» quia Superior v. g. Episcopus non potest proprio fa-
» cto suo contradicere, illudque oppugnare vel rescin-
» dere, juxta c. *Veniens*; 5. *de filiis Presb.* Et notat Gl. hic
» *V. non per te*, dummodō scienter beneficium contule-
» rit, secus si ignoranter, tum enim ipse Episcopus per
» se posset eos privare, Gl. hic *V. scienter*. Si verō tali
» calu Clericus beneficiatus, qui uxorem duxit, benefi-
» cium deferere nolit, poterit Episcopus Superiorem eum
» denunciare, videlicet Papæ, licet accusare eum non
» possit, quia quem semel aliquis approbavit, accu-
» sando reprobare non potest, ut docet *Innocent. hic. n.*
» 2. Et 3. *arg. l. si uxor.* 13. §. *ult. ff. ad leg. Jul. de adul.*

VII. Præterea in c. *Quod à te*; 3. h. t. statuit
» Alexad. III. ut Clerici in minoribus Ordinibus
» constituti & beneficiati, si ad incontinentiam pro-
» ni. accipiant uxores, priventur beneficiis Ecclesia-
» sticis; quia simul carnalibus desideriis, ac Divinis
» & Ecclesiasticis Officiis vacare non valent, atque pro-
» pter immunditiam suam Sacramentis tractandis
» sunt indigni. Veruntamen si hujusmodi Clerici
» Ecclesiis, in quibus intulati fuerunt, seu benefi-
» cium nacti sunt, aliqua bona sua contulerunt, illa
» ipsis, postquam ab earundem Ecclesiarum ministe-
» rio ac beneficio remoti fuerunt, restitui debent.

VIII. Pro explicatione *hujus c.* Notandum primò,
» usus conjugij non bene congruit cum ministerio Al-
» taris, à quo abesse debet omnis immunditia, propter
» ejus sanctitatem: quamvis enim opus conjugale pro-
» pter rationem Sacramenti sit cohonestatum & san-
» ctificatum, ideòque etiam concubitus cum propria
» uxore in c. *Nicæna*; 12. *dis.* 31. castitas vocatur: ma-
» terialiter tamen, & quoad speciem naturæ, convenit
» cum opere fœdo & immundo, ut docet *S. Thom.* 3. p.
» 4. q. 49. n. 1. ideòque non potest decenter consistere cum
» ministerio Altaris. Et hinc etiam in Veteri Testa-
» mento Sacerdotibus interdictus fuit usus conjugij,
» tempore vicis suæ, seu dum in Templo ministrare, &
» sacrificare debebant: cum ergo in nova Lege decens
» sit, ut Sacerdotes continuò ministrent in Ecclesia, &
» jugiter DEO Sacrificium longè excellentius & purius
» offerant, ideò jubentur Ministri Altaris, maximè Sa-
» cerdotes, ab omni commercio carnali, etiam à pro-
» pria uxore abstinere, *Laym. lib. 5. tract. 9. c. 11. n. 9.*

IX. Quare etiam Orientales seu Græci Sacer-
» dotes nunquam poterant uxorem ducere, post susce-
» ptum Sacerdotium, sed hoc solum ipsis concessum
» fuit, si ante Clericatum, vel in minoribus Ordinibus
» constituti, matrimonium cum Virgine iniissent, pos-
» sint postea ad sacros Ordines, etiam Sacerdotium,
» promoveri, & matrimonio antea contracto uti; quia
» Ecclesia Orientalis votum continentia non admittit,
» ideòque etiam conjugati ad Sacerdotium in illa ad-
» mittuntur, non exacto voto continentia, prout su-
» mitur ex c. *Cum olim*; 6. h. t. Nam cum Canonici
» Ecclesiæ Angloriensis Cantorem Tricariensem in

Episcopum elegerint, Archiepiscopus Anche-
» rontinus electionem illius examinans, reperit,
» quod pater ejus Græcus & Sacerdos fuerit, & juxta
» morem Græcorum, in minoribus Ordinibus con-
» stitutus uxorem duxerit, ex qua in Sacerdotio
» istum electum suscepit: alioquin & formam ele-
» ctionis esse canonicam, & personam idoneam.
» Consultus Papa Innocentius III. respondit: Ori-
» entalem Ecclesiam votum continentia non admi-
» sisse, adeòque Orientales in minoribus Ordinibus
» constitutos matrimonium contrahere, & post sus-
» ceptum sacrum Ordinem, vel etiam Sacerdotium,
» matrimonio contracto uti posse. Quare mandat
» Archiepiscopo, ut electum Episcopum, si aliud
» impedimentum Canonicum non obstat, confir-
» met, & consecret: nisi consuetudo Regionis re-
» pugnet, ac veter, ne Græci inter Latinos conver-
» sentur, hoc est, ritu latino ordinentur: ubi Gl. *fin.*
» ait, quod consuetudo facit ineligibilem, qui alias
» eligibilis est; & ut, qui de Jure communi habilis est
» ad matrimonium contrahendum, per consuetudi-
» nem fiat inhabilis.

Hinc etiam colligitur, quod in Ecclesia Occi-
» dentali votum continentia sit annexum ex Constitu-
» tione Ecclesiæ Subdiaconatus, & alijs Ordinibus su-
» perioribus, ita, ut qui promoventur ad sacrum Ordinem,
» tacite censentur vovere continentiam, etiamsi
» nulla fiat expressa mentio de tali voto, Gl. hic *V. Vo-
» tum continentia in fine.*

X. Notandum secundò, si Clerici in minori-
» bus constituti contrahentes matrimonium privati
» sint beneficiis, debent illis restitui bona, quæ Eccle-
» siis, in quibus fuerant intulati, obtulerunt, cit. c. *Quod
» à te in fine h. t.* Nam olim non infrequens erat, ut Cle-
» rici Ecclesiæ seculari, vel etiam regulari se & posses-
» siones suas seu bona offerrent alicui Ecclesiæ seculari,
» vel etiam regulari: quia tamen regulares non erant,
» nec votis Religionis in manibus Prælati emissis ob-
» stricti, ideò poterant liberè recedere, imò etiam
» uxores ducere, si nullum Ordinem sacrum recepis-
» sent. Porro hujusmodi Conversi seu Oblati, vel se
» principaliter obtulerunt Ecclesiæ; bona verò sua so-
» lum accessoriè, sive cum habitudine ad personam
» suam: & tunc Oblatus, si recedat ab Ecclesia, uti po-
» test, ei reddenda sunt bona sua; quia accessorium se-
» quitur principale, adeòque & bona personam, cen-
» setur enim talis recedendo, tacite revocare donatio-
» nem bonorum tanquam factam ob causam, causâ non
» secutâ. Vel tales Oblati bona sua principaliter & per se
» donarunt Ecclesiæ: & tunc non poterunt eadem repè-
» tere, nec recuperat illa Oblatus, si ab Ecclesia recedat,
» nisi ex gratia fiat restitutio, *Abb. in cit. c. 3. in fine h. t.*
» Si tamen pauper sit, & non habeat, unde vivat, ei re-
» stituenda sunt bona sua, ut tradit *Hostiens. in summ. n. 2.*
» §. *Et in quo relevantur h. t.* quia donatarius, si donatio
» in magna quantitate facta sit, debet donatorem ad
» inopiam redactum alere, ut docet *Laym. lib. 3. tract.*
» 4. c. 12. n. 17. Et alij communiter. An autem in dubio
» ctnseri debeat donatio facta principaliter & abso-
» lutè, an verò solum accessoriè ad personam: di-
» stinguendum est, si enim donatio facta sit omnium
» bonorum, vel majoris partis, vel saltem valdè ma-
» gnæ & notabilis partis, tunc censetur donatio
» facta accessoriè ad personam; quia nemo præ-
» sumi-

fumitur in dubio velle bona sua in notabili quantitate profundere: aliàs verò censeri debet donatio facta principaliter & absolute, *Abb. in cit. c. 3. n. 5. & 6. h. t. Sanch. lib. 7. mor. c. 1. n. 6. & seqq.* ubi agit de donatione facta à Novitio seu volente ingredi Religionem, de qua suo loco.

§. III.

Virum Clericus, matrimonium contrahendo, amittat beneficia obtenta ipso iure, an verò solum per sententiam Iudicis?

XI. Assertio 1. si Clericus in minoribus Ordinibus constitutus matrimonium valide contrahat, ipso iure vacant ejus beneficia, quæ obtinuit, etiam ante sententiam Iudicis, ut tradit *Gl. in c. 1. V. Relinquenda h. t. & ibid. Abb. n. 4. Sanch. lib. 7. de matr. dis. 42. n. 4. & alij DD. communiter apud eund. & apud Barb. in Collect. in cit. c. 1. n. 2. h. t.* Ratio est, tum quia matrimonium validum est incompatible cum beneficio Ecclesiastico, ac proinde cum Clericus sciat, vel scire debeat, quod simul beneficium retinere, & uxorem habere non possit, hoc ipso, quod uxorem ducit, censetur tacite & ipso facto renunciare beneficio, *arg. e. Extramissa 3. de renunciat. & c. Cum renunciatur 9. caus. 32. q. 1.* contratio enim facto cedit iure proprio, *arg. l. 1. C. de furtis.* Tum quia sub ea tacita conditione confertur Clerico beneficium, ne statum incompatible, eo retento, assumat, cuiusmodi est status matrimonij; quia eo assumpto, hoc ipso, tanquam deficiente conditione, statim perdit beneficium. Ex quo patet, Clericum talem in eunt matrimonium validum, non amittere beneficium in penam delicti, quæ non incurritur, ante sententiam Iudicis, saltem in conscientia, nullum enim delictum est, quod Clericus sacro Ordine non initiatus matrimonium contrahat: sed amittitur beneficium ex eo, quia sponte assumit statum incompatible cum beneficio, ut notat *Sanch. c. l.*

XII. Non obstat primò, quod in *c. 1. & 3. h. t.* dicitur, si Clerici infra Subdiaconatum uxores acceperint, compelli debeant ad relinquenda beneficia, & ijs privandi sint, ergo non sunt privati ipso iure seu facto. Nam ibi non dicitur compellendos esse Clericos illos, ad relinquenda beneficia, vel privandos, quasi non vacaverint ipso iure: sed quia ipso iure vacabant, ideo statuitur privandos esse possessione beneficiorum, & ad illam dimittendam compellendos esse, quam injustè adhuc detinebant. Non obstat secundò, quod, si quis ab initio sit habilis ad beneficium obtinendum, illud non perdat, etiamsi postea fiat inhabilis, v. g. irregularis; cum ergo Clericus in minoribus, tempore, quo obtinuit beneficium, fuerit habilis, non perdit illud, ratione conjugij subsequenter, per quod inhabilis fit ad obtinendum. Nam respondetur, id verum esse, quando quis excluditur à beneficio ob inhabilitatem personæ; at hic perdit beneficium, ob tacitam renunciationem, *Sanch. c. l. n. ult.* Non obstat tertio, quod in *c. Si qui verò 3. dis. 32.* dicitur, & in *c. Quarta 8. caus. 12. q. 1.* repetitur: Si Clerici sacro Ordini non initiati continere nequeant, uxores ducere debent, & stipendia accipere.

Tomus III.

Verum ibi sermo est de stipendio, quod datur ratione laboris, quem canendo, v. g. vel organa pulsando, in Ecclesiâ præstant, non tamen in titulum, *Sanch. cit. l.*

XIII. Extenditur autem primò, ut per matrimonium contractum per verba de præsentis, etiamsi non sit consummatum, Clericus in minoribus constitutus ipso iure perdat beneficia; quia per sponsalia de præsentis, etiam copulâ non secutâ, verè est assumptus status incompatible cum beneficio, *Sanch. c. l. n. 5. Garcias tract. de beneficiis p. 11. c. 8. n. 1.* Imò et si post matrimonium contractum, uxor nondum cognita moriatur, vel Religionem ingrediatur, & sic matrimonium ratum dissolvatur, non ideo recuperat Clericus beneficia, quæ jam per matrimonium per verba de præsentis contractum vacarunt; quia postquam semel vacarunt, non possunt recuperari, sine nova collatione, jus enim semel extinctum, non reviviscit amplius, licet causa extinguens cessarit, *arg. Clement. Gratie 4. de rescript. junct. Gl. V. Resignaveris*, ubi ait, gratia perempta non reviviscit, licet res revertatur in pristinum statum, ut si Clericus contraxit matrimonium, quod postea dissolvitur per professionem sponsæ non cognitæ, *Abb. in cit. c. 1. n. 6. h. t. Sanch. c. l. n. 6. Garc. c. l. n. 3.*

Extenditur secundò, per matrimonium validum talis Clerici amittuntur insuper accessus, regressus, ac quælibet alia jura ad beneficium Ecclesiasticum ipsi contrahenti competentia: ut si quis impetravit rescriptum ad beneficium vacaturum, & antequam vacaret, validè contraxit matrimonium, sed postea defunctâ uxore, vacavit beneficium impetratum, non potest illud petere, vi talis rescripti: ratio est, quia cum matrimonium sit status incompatible cum beneficio, ipso contracto, non sola beneficia: sed etiam omnia jura ad illa, tanquam derelicta habentur; idque probatur ex *cir. Clement. Gratie, ubi habetur*: cum gratiæ, ut de dignitate vel beneficio curato sibi provideatur, tacite renunciare, si ante collationem ejusdem, aliud beneficium incompatible pacifice assequatur, quamvis illud postea resignaverit, vel resignare paratus sit. Ratio est, quia cum per acquisitionem secundi beneficii incompatible vacet prius beneficium, multò magis vacabit jus ad illud, fortius enim est jus in re, quàm ad rem, & facilius hoc amittitur, *Sanch. c. l. n. 7. Garcias cit. c. 8. n. 2.*

Addit *Sanch. c. l. n. 9.* per matrimonium non extingui dispensationem, v. g. cum illegitimo, ad obtinendum beneficium, quò minus, soluto matrimonio, possit virtute illius obtinere beneficium; quia per dispensationem nullum jus acquiritur, nec in re, nec ad rem: sed tantum amovetur impedimentum, ob quod aliquis incapax & inhabilis est redditus, ita ut habilis fiat, ac maneat.

Extenditur tertio, per matrimonium contractum à tali Clerico, non solum amittuntur beneficia: sed etiam pensiones Ecclesiasticæ titulo Clericali alicui collatæ; quia per assumptionem status conjugalis censetur illis renunciari, sicut & beneficiis, quorum loco subrogantur hæ pensiones, subrogatum autem sapit naturam ejus, cui subrogatur, ac proinde, qui est incapax beneficii Ecclesiastici, est etiam incapax pensionis Clericalis, *Sanch. lib. 7. de matr. dis. 44. n. 5. & alij apud eundem.* Aliud est de pensione assignata Clerico in minoribus pro ministerio merè temporali,

C 2

ut quia

ut, quia est Advocatus Ecclesie, vel Sacrista; quia ea pensio non datur in titulum beneficii, ideoque non vacat per matrimonium contractum, *Sanch. c. l. n. 4.* Excipiuntur etiam milites Lauretani, & alij quidam Ordinum militariu, quibus ex speciali privilegio SS. Pontificum concessu est, ut retinere possint pensiones Ecclesiasticas, etiam si contrahant matrimonium cum unica & Virgine, prout refert. *Barb. in cit. c. l. n. 6. h. t.*

XIV. Limitatur autem predicta assertio, quod, quando contrahuntur sponsalia per verba de futuro, non amittuntur beneficia Clerici in minoribus, ipso jure; quia sicut per adeptionem secundi beneficii incompatibilis, non vacat primum, dum plena possessio secundi non est obtenta, *c. Commissa; 30. de elect.* ita per sponsalia de futuro non vacant beneficia, quia per illa non assumitur status plenè incompatibilis cum beneficiis: sed sunt tantum via ad illum statum obtinendum, *Sanch. cit. dis. 42. n. 1. Garc. c. l. n. 19. Barb. in cit. c. l. n. 11. h. t.*

XV. Ex dictis inferitur primò, quod Clericus contrahens matrimonium validum, non possit retinere priora beneficia, sed tenetur statim ea dimittere, alioquin enim est injustus detentor rei non suæ, ac proinde etiam tenetur ad restituendos omnes fructus à se, post matrimonium initum, perceptos, *Sanch. c. l. n. 10. & 12. Barb. c. l. n. 2. & alij apud ipsos.* Inferitur secundò, beneficium talis Clerici conjugati tanquam vacans de jure impetrari potest ab alio Clerico, & ipsi conferri, licet de facto non vacet, si Clericus conjugatus illud adhuc possideat, inito enim matrimonio, non jure, sed solo facto illud possidet, *Sanch. c. l. n. 11.* Et ideo in isto casu requiritur sententia Judicis, per quam declaret Clericum privatum esse beneficio, & tum eam ita exequi debet, ut à tempore ductæ uxoris beneficium vacasse intelligatur. Inferitur tertio, cum Clericus beneficiatus contrahens matrimonium validè, ipso jure privatus sit beneficio, consequens est, quod illud non possit in favorem tertij resignare, quia nullum jus in illud beneficium amplius habet, *Sanch. c. l. n. 2. & 13.*

XVI. Assertio 2. si Clericus Beneficiatus in minoribus Ordinibus constitutus matrimonium invalidè contrahat, ob defectum seu impedimentum aliquod, etsi secundum communem ferè sententiam, beneficium ipso jure vacet: probabilius tamen est, ita contrahentem, beneficio per sententiam Judicis privandum esse, nisi cum ipso dispensetur, ut tradit *Gl. fin. in cit. c. l. h. t. Sanch. l. 3. de matr. dis. 43. n. 3. Less. l. 2. de justit. c. 34. n. 113. Laym. lib. 4. tr. 2. c. 14. n. 7. Garc. de benef. p. 11. c. 8. n. 17.* Ratio est, quia invalidè contrahens matrimonium non amittit beneficium, ob tacitam renunciationem, quia tacita renunciatio non potest habere majorem vim, quam expressa: at hæc non inducit vacationem beneficii, nisi facta sit in manibus legitimi Prælati seu Superioris, *c. Nisi; 10. c. Quod in dubiis; 8. de renunc.* Neque etiam amittitur beneficium, ob assumptionem status incompatibilis cum illo, quia verè non assumitur status incompatibilis, cum matrimonium sit irritum, nec voluntas assumendi beneficium, sufficit ad inducendam vacationem beneficii, cum talis voluntas seu conatus non sortitur effectum: sicut nec renunciatio expressa non facta in manibus Superioris ad id sufficit. Neque etiam ta-

lis Beneficiatus amittit beneficium, ob juris dispositionem; quia Canones ipso facto privantes Beneficiatum, si uxorem accipiat, loquuntur de matrimonio valido, cum dicatur in *cit. c. l. h. t.* tales Clericos conjugatos per censuram Ecclesiasticam compellendos esse ut uxores retineant, adeoque hic supponitur matrimonium fuisse validum. Confirmatur, quia non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, juxta *Reg. Jur. § 2. in 6.* & quod nullum est, nullum potest producere effectum, *l. si § 4. §. condemnatum ff. de re judic.* cum ergo tale matrimonium nullum sit, non inducit juris effectum. Accedit, quod nullus textus juris reperitur disponens, in tali casu solam attentionem facti sufficere; licet id in alijs quibusdam casibus reperitur dispositum, quod tamen cum sit pœnale quid, extendendum non est ad casus non expressos.

XVII. Ex dictis deducitur primò, si Clericus beneficiatus in minoribus contrahat invalidè matrimonium, non vacant beneficia illius ipso jure: sive matrimonium irritum sit, ob impedimentum consanguinitatis, sive ob aliud dirimens: & sive contrahens Clericus noverit illud impedimentum, sive ignorarit, *Sanch. c. l. n. 5. & alij apud ipsum.* Secundò, idem dicendum, si matrimonium sit irritum, ob defectum ætatis, quia uterque contrahens, aut alter est impubes, nec malitia supplet ætatem, nam matrimonium tale habet vim sponsalium, *c. unic. de despons. impub. in 6.* sed per sponsalia de futuro inita non vacant beneficia, ut patet ex suprà dictis, *Sanch. c. l. n. 6.* Tertio, non vacant etiam beneficia, si matrimonium irritum sit, ob defectu consensûs voluntarij; quia nimiru Clericus non erat sanæ mentis, vel gravi metu coactus fuit ad contrahendum matrimonium, vel fidei consensit, *Sanch. c. l. n. 7. Laym. c. l. n. 10. & 11.* hoc enim casu, tacita renunciatio Clerici manifestè cessat. Quarto deniq; non vacant ipso jure beneficia talis Clerici, si matrimonium sit irritu, eò quod sit elandestinu, nempe celebratum sine præsentia Patochi & testium, quæ cum juxta *Concil. Trident. Sess. 24. c. 1. de reform.* ad formam substantialem matrimonij pertineat, eà intermissa, matrimonium est nullum, adeoque non potest inducere vacationem beneficiorum ipso jure, *Sanch. c. l. n. 8. Garc. c. l. n. 14. & 15. Laym. c. l.*

Cæterum si talis Clericus invalidè contrahat matrimonium, poterit beneficium resignare in favorem alterius, antequàm per Judicis sententiam eo privetur, cum necdum vacet, *Sanch. c. l. n. 9. & Laym. c. l.*

XVIII. Assertio 3. probabilius est, si Clericus in sacris Ordinibus constitutus matrimonium invalidè contrahat, eum nò privari beneficiis ipso jure, quamvis in pœnam privari possit ab homine seu Judice per sententiam, ut tradit *Gl. fin. in cit. c. l. h. t. Jo. Andr. in c. Joannes; 7. n. 29. eod. Sanch. cit. dis. 43. n. 4. Less. c. l. n. 51. Laym. c. l. Garc. cit. r. 8. n. 17. contra Abbat. in cit. c. l. n. 7. & alios.* Idq; sumitur ex *cit. c. l. h. t.* ubi discrimen fit inter Clericos minorum Ordinum, & Clericos in sacris constitutos: atque de prioribus dicitur cogendos esse, ut beneficia Ecclesiastica dimittant, uxores verò retineant: de posterioribus verò solum dicitur, cogendos esse; ut uxores dimittant: quamvis per sententiam Judicis, donec uxores dimiserint, & se emendaverint, ac plenè satisfecerint, ab officio & bene-

& beneficio suspendendi sint, ut colligitur ex c. 5. 4. h. 2. Deinde idem probatur ratione, quia si clericus in sacris Ordinibus existens, & ducens uxorem privatus est ipso jure beneficijs, tum vel ijs privatus est propter assumptionem status incompatibilis, adeoque tacitam renuntiationem, vel in pœnam delicti. Non primum, quia cum matrimonium sit irritum, non potest verè dici eum assumere statum incompatibilem cum beneficio. Non secundum, quia talis constitutio pœnalis in proposito casu non extat.

XIX. Sed contra objicitur Primò. Si quis Ordines sacros suscipiat, & ad secundum matrimonium de facto transeat, censetur bigamus, & ut talis puniatur, etsi verè bigamus non sit, quia quantum in ipso fuit, secundum duxit uxorem, c. Nuper; 4. de bigam. non ord. Item si is, qui habet unum beneficium curatum, alterum curatum per vim accipiat, seu se intrudat, licet adeptio secundi beneficii sit irrita, tamen ipso jure vacat primum, & amittitur, c. Eum quis; 18. de præben. in 6. Ubi ratio redditur, quia non decet, ut invalor melioris conditionis sit, quam is, qui justè accepit alterum beneficium: hæc autem argumentatio similiter locum habet in Clerico in sacris constituto, si matrimonium temerè, & invalidè contrahere præsumat. Rursum in c. Quanto; 3. de translat. Episc. similiter decernitur, quòd si Episcopus ad alterum Episcopatum propriâ auctoritate, se transferat, etiam priore legitime habito Episcopatu carere debeat: Ergo etiam in præsentî Clericus, qui de facto matrimonium validè contraxit, erit ipso jure privatus beneficio, quod antea possedit. Resp. Leges pœnales, etiam ob paritatem rationis non esse extendendas ad casus diversos: nisi necessitas cogat; quia nimirum alioqui iniquitas, contradictio jurium, vel aliud absurdum sequeretur, præsertim cum obstant hic omnia jura, quæ clamant, quod irritum est, nullum producere effectum, Sanchez cit. dis. 43. n. 3.

Objicitur secundò: Talis Clericus assumendo quantum est in ipso, statum conjugalem incompatibilem cum beneficio, censetur ei ipso facto renunciare, arg. c. 3. de renunc. Respondetur non satis esse, quòd aliquis velit assumere statum incompatibilem, si voluntas effectum non sortiatur, ut supra dictum, quia voluntas seu conatus inefficax non reputatur pro facto, quando agitur de pœnis, vel impedimentis incurrendis, nisi id jure sit expressum.

§. IV.

An Episcopus possit dispensare cum Clericis conjugatis in minoribus, ut possint obtinere beneficium, vel cum Clericis in sacris constitutis, qui uxores de facto duxerunt, ut officia sacra ordinum iterum exercere possint.

XX. Assertio 1. Episcopus non potest dispensare cum Clerico conjugato, quamvis unicam, eamque virginem duxerit, & Clericalem habitum, ac tonsuram ferens, Ecclesiæ alicui servire velit, ut Ecclesiasticum beneficium obtineat, sive curatum,

sive simplex, sed solus S. Pontifex id potest, ut docet Gl. fin. in addit. in c. Joannes; 7. h. t. ubi ait, Clericus conjugatus, ex dispensatione Papæ, potest beneficium habere; & Abb. ibid. n. 7. Sanchez cit. dis. 42. n. 18. Garc. p. 3. de benef. c. 5. h. 4. contra Innoc. & Imol. Idque sumitur ex c. Diversis; 5. h. t. Ubi præcipitur Episcopo, ut Clericos conjugatos beneficijs obtentis privet, & mox additur. Nisi forte talibus scienter contulerit Ecclesiastica beneficia, quibus eos non per te, sed per Superiorem decernimus spoliandos. Ergo non potest Episcopus dispensare, nam alias si sciens Episcopus contulisset Clerico conjugato beneficium, cum eo tacitè ac ipso facto dispensasset, adeoque collatio fuisset firma, ac valida, neque Clericus talis privandus esset beneficio ab Episcopo collato, quòd tamen repugnat illi textui. Idem ulterius probatur, tum quia Episcopus non potest dispensare contra decreta SS. Canonum, nisi id expressè ei concessum sit, inferior enim legem Superioris tollere non potest: At secundum SS. Canones, Clerici conjugati in ordine ad res Ecclesiasticas, seu beneficia, censentur ut Laici, adeoque sunt incapaces beneficiorum Ecclesiasticorum, sicut Laici: ergo non potest contra Canones Episcopus cum illis dispensare, cum id nullibi expressè concessum sit Episcopis, sed potius prohibitum conjugatis conferre beneficia in c. 1. & 2. seqq. h. t. Tum quia Clerici conjugati non admittuntur ad Ecclesiasticas administrationes, cit. c. 2. h. t. Ergo neque ex dispensatione Episcopi capaces sunt beneficii, quia hoc, etsi simplex, datur solum ratione administrationis, vel officij Ecclesiastici, c. Propositus; 6. de filiis Presb. c. Conquerente; 6. tit. seq.

Non obstat cit. c. Joannes; ubi supponitur, Clericum conjugatum posse aliquando habere beneficium Ecclesiasticum: nam id intelligi debet, non ex Episcopi, sed Papæ dispensatione. Neque etiam obstat, quòd Episcopus potest dispensare cum homicida & irregulari ad beneficium simplex obtinendum, c. ad audientiam; 12. de homic. Et cum depositio ab Ordine, & Officio, c. Salonitane; 24. dis. 63: Ergo etiam cum Clerico conjugato. Nam ut bene notavit Abb. in cit. c. Joannes; n. 8. in materia dispensationis, quippe quæ est exorbitans, non valet argumentum à casibus permissis, ad non permisos, etiam si hi majores sint, quæ enim exorbitant à Jure communi, non sunt in consequentiam trahenda: præterquam, quòd non sit eadem ratio in Clerico conjugato, quæ in alijs prædictis, ut ostendit Abb. c. l.

XXI. Assertio 2. Episcopus potest dispensare cum Sacerdotibus (& alijs Clericis in sacris constitutis) qui matrimonium contrahere (de facto, non de jure) præsumpserunt, ita ut post longam penitentiam actam, & vitam laudabiliter in continentia ductam, officijs suis restitui, eaque exercere possint, prout statuit Alexander III. in c. Sanè; 4. h. t. Imò ut etiam ad Sacerdotium promoveri possint, iuxta c. 1. junct. Gl. 17. Dispensativè; Qui Clerici, vel videntes, &c.

XXII. Cæterum dispositio hujus c. intelligi debet de Sacerdotibus, & alijs Clericis in Sacris, qui cum una, eaque virgine, matrimonium contraxerunt, etsi in textu id non exprimitur, non autem si cum vidua, aut corrupta, vel si cum duabus feminis contraxerit, etsi virginibus, Gl. fin. hic in fine, quia

quia alioqui adversaretur *c. Nuper*, § 4. *c. ult. de bigamis*, in quorum priore dicitur, non posse dispensari cum Clericis, qui in Sacris constituti secundas mulieres sibi matrimonialiter coniuuxerunt: in posteriore verò dicitur, non licere dispensare, quando tales Clerici cum vidua contraxerunt, *Sanch. lib. 7. de matr. dif. 36. n. 20*. Ratio verò, cur cum tali Clerico ducente unicam virginem, post susceptos sacros Ordines, dispensari potest, est; quia talis non veram, neque interpretativam bigamiam incurrit, sed similitudinariam tantum, ut dictum suprà *l. 1. tit. 21. n. 31*. Imò nec hanc bigamiam, sed solum irregularitatem quandam incurrit, ut censet *Laym. l. 1. tr. 5. p. 5. c. 6. n. 6*. eò quòd in Titulis Decretalium, in quibus de matrimonio à Clericis illegitimè contracto agitur, nulla unquam bigamiæ mentio fiat, de quo etiam dictum suprà *c. l. n. 21*. Illud hñc addendum, quòd, qui in Sacris constituti de facto contrahunt matrimonium sacrilegè, suspecti fiant de hæresi, ut notat *Gl. marginalis in cit. c. Sanè*; § 4. *h. t.*

§. V.

An: Et quâ ratione Clerici in minoribus Ordinibus constituti, Et coniugati gaudeant privilegiis Clericalibus, vel contrahendo matrimonium, illa per-
dant.

XXIII. Assertio 1. Si Clericus in minoribus constitutus matrimonium contrahat, tanquam Laicus censetur, ita ut privilegia Clericorum non participet, exceptis duobus, de quibus infra. Et hinc Clericus uxoratus, etiam si Tonfuram ferat, & habitum Clericalem, non gaudet privilegio Clericali, adeoque ad Tonfuram ferendam, & habitum ab Episcopo compelli non potest, ut constat ex *c. Ioannes*; § 7. *h. t.* Ubi habetur, quòd cum quidam, Ioannes nomine, in Acolythum ordinatus uxorem duxisset, Episcopus Pictaviensis volebat illum ad Tonfuram Clericalem ferendam compellere, de quo Ioannes conquestus est apud Papam Innocentium III. allegans, quòd ex gestatione Tonfuræ inter ipsum, & uxorem scandalum generetur, & quòd secundum consuetudinem loci illius, Clerici uxorati non cogantur inviti gestare Tonfuram. Ad hoc respondet Papa, cum Clericus conjugatus, etiam si Tonfuram ferat, non possit privilegio Clericali gaudere, idè dictum Ioannem non esse cogendum ad Tonfuram ferendam, dummodo nullum Ecclesiasticum beneficium obtineat, ratione cuius Tonfuram Clericalem deferre deberet: aliòquin verò, si beneficiatus non sit, cum ipsum secularia negotia tractare oporteat, Tonfura ipsi (& habitus Clericalis) in Ecclesiastici Ministerii vituperium redundaret.

XXIV. Hinc colligitur primò, Quòd per contractum matrimonium non desinat quis esse Clericus; etiam si Tonfuram, & habitum Clericalem non deferat, quia character Ordinis est indelebilis, &

Tonfura non pertinet ad substantiam Ordinis, sed est solum externum signum illius, *Abb. hic n. 2*. Quia tamen Clerici conjugati ab officijs, & beneficijs Ecclesiasticis repelluntur, imò nec privilegijs Clericalibus gaudent, idè non debet illis hoc onus, seu obligatio imponi, deferendi Tonfuram, & habitum Clericalem: at verò si ex dispensatione Papæ officium, & beneficium Ecclesiasticum habere permittantur, tum jure compelli possunt ad Tonfuram, & habitum Clericalem ferendum, ut patet ex hoc *c.*

Colligitur tertio, potest per diuturnam consuetudinem præscribi contra Legem, seu Canonem Ecclesiasticum latum de ferenda Tonfura, & habitu Clericali, v. g. ut Subdiaconi clericaliter non incedant. Ratio est, quia per diuturnum non usum abrogari potest lex positiva, si non usus in se implicite contineat quasi actum contrarium dispositioni Legis, ut tradit *Abb. in cit. c. Ioannes*; § 9. Sed non deferre habitum, & Tonfuram Clericalem, est quasi actus contrarius Legi, seu Canoni præcipienti delationem, nam juxta *reg. jur. 21. in ff. qui non facit, quod facere debet, videtur facere adversus ea, quæ facit*, ac proinde accedente bonâ fide, si nimirum communis persuasio sit in populo, Subdiaconos in tali loco non esse obligatos ad deferendum habitum, & Tonfuram Clericalem, potest induci, viâ præscriptionis, consuetudo contraria. Veruntamen Ordinarius loci potest per novum Statutum, quod Juri communi Canonico conforme est, v. g. in Synodo Diocesanâ conditum, talem consuetudinem iterum abrogare, & sic pristinam legem, vel Canonem rursum in observationem reducere.

XXV. Similiter in *c. Ut consulationi* 10. & *ult. h. t.* statuit Honorius III. Quòd, si quis in minore ætate constitutus Tonfuram, & Coronam Clericalem accepit, & postea miles factus fuit, non sit cogendus deferre habitum Clericalem; quia nimirum transeundo ad militiam, qui est status incompatibilis cum Clericatu, huic ipso facto renunciâsse censetur, *Gl. fin. hic*. ita ut postquam in Matriculam militarem relictus est, etiam si statum, vel habitum Clericalem reassumat, non recuperet beneficia prius obtenta, aut privilegia Clericalia, ut notat *Barb. in Collect. hic n. 3*. Idem dicendum est de alijs Clericis tonsuratis, vel in minoribus Ordinibus constitutis, non enim cogi possunt ad Tonfuram, & habitum Clericalem ferendum, etiam si conjugati non sint, nec militiæ nomen dederint, *Abb. hic n. 2*. Quia tales ad statum Laicalem redire, non prohibentur: neque cogi possunt ad ferendum habitum, & Tonfuram Clericalem, nisi sub conditione, si gaudere velint privilegijs Clericalibus. Quare quòd in hoc *c.* mentio fiat de Clerico, qui miles factus est, solum exempli loco allatum est, & quia ad casum, seu speciem facti pertinet.

XXVI. Assertio 2. Clerici, qui à minoribus constituti, Clericali habitu, & Tonfurâ relictis, uxores duxerunt, & postea habitum Clericalem reassumpserunt, ut declinent Jurisdictionem potestatis secularis: vel etiam matrimonium contraxerunt, licet habitum, & Tonfuram nunquam deposuerint, non gaudent privilegijs Clericalibus in bonis, seu rebus suis, adeoque tributa, vectigalia, aliisque exactiones Re-

gibus,

gibus, & Principibus sæcularibus solvere debent, & hi à talibus Clericis conjugatis, perinde ac ab alijs uxoris, & laicis, debitas justitias, & con- sueta servitia exigere possunt, prout respondit Ho- norius III. Regina Angliæ in c. Ex parte; 9. h. t. & consentit c. unic. eod. in 6. ubi hoc magis clarè est decisum, de quo mox plura.

XXVII. Assertio 3. Clerici (in minori- bus constituti) qui cum una, eaque Virgine ma- trimonium contraxerunt, si habitum, & Tonsu- ram Clericalem ferant, retinent privilegium Ca- nonis c. Si quis suadente; 39. caus. 17. q. 4. ut ni- mirum violentas manus iniiciens in Clericum, ex- communicationem latæ sententiæ incurrat) editi in favorem totius Ordinis Clericalis: sed & pri- vilegium fori retinent, ita, ut ad iudicium sæcu- lare, propter commissos ab eis excessus vel delicta, trahi non possint, siue criminaliter agatur, siue ci- viliter. Sed nec à Iudice aliquo sæculari tales Cle- rici conjugati in persona, vel in pecunia, seu bonis ullo modo condemnari, aut puniri possunt (juxta c. 2. de foro compet. quod est desumptum ex Concilio Parisiensi) ne per unam viam concedatur Judi- cibus sæcularibus, quod per aliam denegatur. Alii autem Clericorum privilegijs (scilicet quod Clerici, qui cum una virgine matrimonium con- traxerunt, sint exempti à solutione vectigalium, & aliorum tributorum) non gaudent Clerici con- jugati: imò neq; ijs privilegijs (videlicet Canonis & fori) nisi Tonsuram, & habitum Clericalem de- ferant, prout statuitur in c. Clerici; unic. h. t. in 6.

Porò hæc Constitutio Bonifacii VIII. confir- mata est in Concilio Trident. Sess. 23. c. 6. de reform. ubi præter duas prædictas conditiones, ut Clericus conjugatus frui possit privilegijs Canonis, & fori, ad- ditur tertia, nempe ut alicujus Ecclesiæ servitio, vel ministerio ab Episcopo deputatus eidem Ecclesiæ in- serviat, vel ministret, nemini quoad hoc privilegio, vel consuetudine etiam immemoriali suffragante.

XXVIII. Ex dictis infertur primò, Quod Cle- ricus verè bigamus, quia duplex contraxit matrimo- nium, & utrumque consumavit, vel quia duxit vi- duam, aut ab alio priùs corruptam, non gaudeat pri- vilegio Canonis, aut fori: secus si duxit à se solo priùs corruptam, aut, si ab alio, matrimonium cum illa non consumavit: vel si duplex iniit matrimo- nium, sed alterutrum non consumaverit, vel si du- xit unicam, & virginem, eamque post patratum adul- terium etiam notorium, carnaliter non cognovit: nam in his casibus, talis Clericus non perdit privi- legium Canonis & fori, quia conditiones requisitæ in cit. c. unic. h. t. in 6. ut illis privilegijs gaudeant, in illo reperuntur, utpote qui unicam, & virginem, siue ab alio priùs non cognitam duxit, Iul. Clar. in pract. crim. §. fin. q. 36. n. 9. Sanch. l. 7. de matr. dif. 46. num. 3.

Infertur Secundò. Ut Clericus conjugatus perdat privilegium fori propter bigamiam, requiritur, ut tẽ- pore delicti commissi illam contraxerit, si enim post commissum delictum primùm factus est bigamus, iniens aliud matrimonium, primâ uxore virgine de- functâ, adhuc gaudet privilegio fori Ecclesiastici, quo- ad illud delictum, quia in hac re spectatur semper status, in quo erat tempore delicti commissi, Clar. c. l.

n. 11. Sanch. c. l. n. 4. v. g. Si Clericus non conjuga- tus commisit aliquod delictum, de quo fuit accusa- tus, sed postea fiat bigamus, non debet remitti ad Iudicem sæcularem, ut is de illo delicto cognoscat, sed ad Iudicem suum Ecclesiasticum, quia attenditur status, in quo reus erat tempore delicti.

Infertur tertio. Clericus conjugatus amittit privilegia Clericalia, contrahendo matrimonium, imò etiam privilegium Canonis, & fori, si non ser- vet conditiones requisitas, sine omni prævia moni- tione, & sententia declaratoria Iudicis, quia priva- tio hæc non imponitur in pœnam delicti, sed ob de- fectum conditionis requisitæ ad fruendum privilegijs Clericalibus, ut docet Sanch. cit. dif. 46. n. 19. Non obstat, quòd trina monitio requiritur, ut Clericus in minoribus constitutus non deferens Tonsuram, & habitum amittat privilegium Clericale, c. In audien- tia; 25. de sent. excomm. Nam ibi sermo est de Cleri- co non conjugato, qui spectato illo Jure, non perde- bat privilegium Clericale per dimissionem habitus, donec ter moneretur: secus est de jure novo Concilij Trid. cit. sess. 23. c. 6. juxta declarat. S. Congreg. Concil. apud Ioan. Gallemart. ibid. nu. 5. ubi declaratur, quòd Clericus conjugatus, qui diu sine habitu, & Tonsu- râ incedens, Ecclesiæ alicui, etiam de mandato Epi- scopi, intersit, ipso facto, sine aliqua monitione præ- cedente, amittat fori privilegium.

XXIX. Infertur quartò. Clericus conjuga- tus gaudet privilegio fori, cum prædictis condi- tionibus, non tantum in causis criminalibus, siue cri- minaliter ad vindictam agatur, siue civiliter ad re- stitutionem damni illati: sed etiam in causis civili- bus, quæ ex contractu, vel quasi contractu descen- dunt, ut colligitur ex cit. c. un. h. t. in 6. ubi post- quàm dictum est, non posse hujusmodi Clericos trahi ad iudicium sæculare, siue criminaliter, siue civiliter: subditur: *vel etiam pecuniariter nullatenus condemnari*: ne ergo hæc verba frustra sint posita, sed aliquid o- perentur, debent intelligi de causis merè civilibus, nam de criminalibus jam ante dictum erat. Secundò. Conc. Parisiense allatum in c. 2. de foro compet. abso- lutè prohibet Iudicibus sæcularibus quemcunq; Clericum condemnare, neque distinguit inter cau- sas criminales, & civiles, & habet locum etiam in Clerico conjugato non bigamo, si incedat in habitu, & Tonsurâ, ut tradit Ioan. Andr. ibid. n. 2. nec cor- rigitur per cit. c. un. h. t. in 6. imò per illud declara- tur, ergo hæc Constitutio declarans debet intelligi, iuxta interpretationes, quas prior Constitutio decla- rata recipit. Tertiò. Verba illa posita in cit. c. un. pro commissis ab eis excessibus, comprehendunt etiam il- lum, qui contrahendo promisit aliquid, illudque non implet, is enim verè excessum committit, ob quem convenitur. Quartò aliàs sequeretur meliorem esse conditionem Clerici conjugati delinquentis, & per furtum v. g. acquirentis pecuniam, quàm contra- hentis, v. g. qui mutuo accepit: hic enim potest coram Iudice sæculari conveniri, non item prior. Et hanc sententiam tenet Franc. in cit. c. un. §. Et cum n. 4. h. t. in 6. & alij apud Sanch. cit. dif. 46. n. 21. & est sen- tentia valde probabilis.

Contrarium tamen tenet Ioan. Andr. in cit. c. un. n. 2. Anchar. ibid. not. 4. Abb. in cit. c. Ioannes; n. 3. Sanch. c. l. num. 22. & est communior sententia DD. nempe

nempe quoddam huiusmodi Clerici conjugati in solis causis criminalibus, siue agatur criminaliter, siue civiliter, gaudeant privilegio fori Ecclesiastici, non autem in merè civilibus, quia text. in *cit. c. un.* expressè tantum loquitur de causis criminalibus, idque satis aperte videtur colligi ex illis verbis: *ne per unam viam* (scilicet pecuniariae condemnationis) *concedatur ejssdem* (punitio Clericorum) quod per aliam (nempe corporalis punitio) *denegatur*. Neque obstant verba subsequenter generaliora, ibi: *trahi non posse, siue criminaliter, siue civiliter ad iudicium seculare*: quia non est infrequens, verba restringi ad casum præmissum, & solius declarationis causâ addi. Neque etiam obstat Concilium Parisiense in dicto *c. 2.* nam hoc loquitur de Clericis in genere: at verò *cit. c. unic.* tantum de restringendis privilegijs Clericorum conjugatorum: neque verò in causa civili propriè committitur excessus, seu delictum, quamvis negari non possit, esse peccatum, si non adimplentur contractus, *Sanch. c. l. n. 24.* Quod autem tantum causas criminales excipiat Pontifex in *cit. c. un.* Ratio est, quia decentius est in causa criminali, in qua agitur ad vindictam publicam, Clericum subijci foro sæculari, quam in causa merè civili, in qua agitur de restitutione debiti. Addit *Sanch. c. l.* Iudicem sæcularem posse in causa merè civili Clericum conjugatum etiam capere, & in carcerem conijcere, non obstante privilegio Canonis; quia tunc non iniicit manus violentas in illum, sed iustas, quippe qui in ea causa est Iudex competens Clerici conjugati, secundum hanc sententiam.

XXX. Restant adhuc duæ quæstiones circa privilegia Clericorum conjugatorum: hæc expediendæ. Prima quæstio est, an Clericus in minoribus, qui matrimonium contraxit cum unica, & virgine, si Tonsuram, & vestes Clericales deponat, penitus ac in perpetuum amittat privilegia clericalia, etiam Canonis, & fori: an verò potius ea sint suspensa, ita ut recuperentur, si Clericus Tonsuram, & habitum Clericalem reassumat? Resp. Probabilius est, ea non esse penitus amissa, sed recuperari à Clerico posse, si reassumat habitum, & Tonsuram Clericalem, ut docet *Joan. Andr. in c. unic. h. t. in 6. n. 2. & n. 4. in fine. Franc. ibid. §. & cum n. 6. Clar. cit. q. 36. n. 15. Sanch. cit. dis. 46. num. 29.* Idque colligitur ex *cit. c. un.* ubi Pontifex dicit in fine: *eos gaudere nolumus privilegio Clericali*, quæ verba indicant tales Clericos privari privilegijs, solum quoad eorum usum, & exercitium, non autem quoad proprietatem, ergo reassumpto habitu, & Tonsura, tanquam sublata causâ privationis, ijs iterum fruuntur. Idem probari potest ex *c. Clericus, 6. de vit. & honest. Cleric.* ubi de Clerico, qui dimissâ Tonsurâ, uxorem duxit, dicitur, ut iterum tondatur, cur autem retonderi debet, nisi ut recuperet duo privilegia Clericalia Canonis & fori, *Abb. ibid. n. 4.* Confirmatur ex *Clement. I. eod. titulo.* ubi decernitur: si Clerici macellariorum, aut tabernariorum officium publicè, & personaliter exercent, atque tertio moniti ab Episcopo non desistant, si conjugati sint, ut privilegijs Clericorum omnino priventur: sin autem non conjugati, privilegijs iisdem priventur, quoad bona, nisi in habitu laicali incedant, tunc enim etiam quoad personas privilegia Cle-

ricalia amittunt, quamdiu iisdem officijs institerint, ubi *Gl. V. quamdiu* ait, recuperabunt ergo privilegium, si desistant: nam particula illa *quamdiu* refertur debet ad omnia præcedentia in una eademque oratione posita: clausula enim in fine posita determinat omnia contenta in eadem oratione, *Sanch. c. l.* Accedit, quod hoc privilegium non cedat in alicujus præjudicium, sed per illud Clericus conjugatus solum eximitur, quoad personam suam, & quoad forum in causis criminalibus, *Sanch. c. l.* Adeo, quæ in contrarium afferuntur respondent, illa procedere, quando privilegia Clericalia sunt omnino extincta, ut si Clericus bigamus fiat: non autem quando solum sunt suspensa, dum non reassumuntur habitus, & Tonsura, *Sanch. c. l. n. 31.*

XXXI. Hinc infertur, quod Clericus conjugatus, qui unicam uxorem, eamque virginem duxit, eâ mortuâ, omnia privilegia Clericalia recuperet, quæ Clerici non conjugati, & tonsurati habent, si clericaliter vivere velit, & ad propria Clericorum ministeria redeat, ut docet *Covarr. pr. qq. c. 31. n. 8. vers. 5. in fine. Clar. cit. q. 36. n. 18. Sanch. c. l. n. 30.* Ratio est, quia privatio ista privilegiorum Clerico in minoribus constituto uxorem virginem ducenti non est imposita in pœnam delicti alicujus, per modum cuiusdam depositionis: sed ideo, quod alium statum assumpserit incompatibilem, & repugnantem statui Clericali, ergo soluto matrimonio, adeoque eo statu, veluti impedimento quodam remoto, privilegia quippe non extincta, sed suspensa tantum, per se redire possunt, & recuperari à Clerico cum fundamentum privilegiorum, videlicet Ordo Clericalis, qui ob characterem indelebilis est, semper maneat.

XXXII. Altera quæstio est, an Clericus conjugatus, qui unam uxorem, & virginem duxit, & Tonsuram, ac habitum Clericalem ferens alicui Ecclesiæ servit, juxta Decretum Concilij Tridentini, amittat privilegium Canonis & fori, si sæculares negotiationes exerceat? Affirmant multi DD. apud *Sanch. c. l. n. 25.* idque probari videtur ex *c. Ioannes; 7. h. t.* ubi dicitur, quod Tonsura sæcularia negotia exercentis, videatur in ministerij, siue status Clericalis vituperium, seu opprobrium redundare. Sed contrarium est probabilius ac verius, ut docet *Franc. in cit. c. un. §. & cum n. 5. h. t. in 6. Covarr. c. l. n. 8. in fin. Sanch. c. l. n. 26.* & alij apud ipsum, Ratio est, quia Clerici conjugati (præter casus jure expressos) in omnibus reputantur tanquam Laici: atqui in Jure Canonico nullibi reperitur expressum, quod Clerici conjugati non possint exercere licitè negotiationem honestam, victus causâ, quamvis alijs Clericis non conjugatis ea sit interdicta *arg. cit. c. Ioannes; in fine*, ubi sermo est de Clericis non conjugatis, qui absolute statum Clericalem, & conversationem profitentur, ideoque indecens est, si sæculatibus negotijs, etiam alioquin licitis, & honestis, se immisceant. At verò non est indecens, ut Clerici conjugati sæcularia negotia, & negotiationes licitas exercent; quia cum conjugati magis accedant ad statum Laicorum, quam Clericorum, ideoque illis, sicut Laicis, permillum est, sæculares negotiationes exercere.

TITV-